

Regnicolae praefati, partem Summae Inopiae miserorum colonorum, et nolentes illis gravamini esse, de propriis suis Victualibus nonnulli domini certum numerum frumenti modo infrascripto contribuerunt; vt videlicet Reverendissimus dominus Georgius Draskovich, Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis, praefatae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis Consiliarius et Banus, ad sustentationem Militum suae Maiestatis in Ivanich, loco scilicet finitimo degentium, tritici quartas ducentas, singulam quartam per florenum vnum hungaricalem, Milii quartas Tercentas, singulam quartam per Renensem florenum vnum, Avenae quartas Centum, prout in foro Zagrabiensi Avena ipsa venditur, cum quarta Zagrabiensi, Vini cubulos tercentos, singulam pintam per denarios sex, ad villam Dobravchak vocatam, propinquissimam dicto Ivanich, suis propriis fatigiis et expensis deduci faciet; similiter et Nicolaus Kerchelich ad Zizek Milii quartas ducentas et vini cubulos Centum, eodem modo positurus est.

Item Magnificus dominus Franciscus Tahy tritici quartas tercentas, Milii quartas ducentas, Avenae quartas Centum, huc Zagrabiam, similiter eadem quarta Zagrabiensi, et pro eodem precio, ad sustentationem militum suae Maiestatis in locis finitimis degentium positurus est. Item Generosa ac Magnifica Domina Barbara Alapy, relicta Spectabilis et Magnifici condam domini Petri Erdödy de Monyorokörök, Comitis perpetui Montis Claudii, ac alias Bani, per nuntios suos, tritici quartas Centum, Milii quartas Centum, ad praefatam Villam Dobrovchak, pro eodem pretio se posituram obtulit. Item Reverendi domini Christophorus de Mykulych, Lector, et Thomas Daubren, Archidiaconus dubiczensis, Canonici Ecclesiae Zagrabiensis, singulus illorum, pro eodem pretio, quartas tritici Centum hic Zagrabiae se daturos obtulerunt. Item ex Castris Sztenychnyak, domini Franciscus de Nadasd, et Ozal, dominorum Comitum de Zrinio, et alii domini et Nobiles trans Colapim bona habentes, ad locum finitimum Byhach, de tritico, Milio et vino, pro posse illorum, Magistro Victualium illorum Confiniorum, pro eodem pretio, ad sustentationem militum praesidiariorum illorum confinium se daturos obtulerunt. Item vniversi reliqui domini et Nobiles Regni, pro posse illorum, de tritico, Milio et vino, Magistris Victualium suae Maiestatis, in Confiniis huius Regni Slavoniae constitutis, singulus illorum pro posse suo, pro tollerabili pretio, ad Confinia et sustentationem Militum praesidiariorum, dummodo cum parata pecunia praefati Magistri Victualium Dominos et Nobiles requirant, benevole praestituros se obtulerunt; Ita tamen, vt praefati Magistri Victualium, usque festum Sancti Georgii proxime affuturum, praenominatis dominis et Nobilibus pretium praescriptum praefatorum frumentorum et vini deponant et persolvant; Alioquin postea, prout in foris liberarum Civitatum Suae Maiestatis vendentur, frumenta et vina huiusmodi emere poterint. Item de munitione locorum finitimorum, prout in priori quoque Conventu eorundem, ita et nunc decretum est, ut qui oblatos labores non praestiterunt, per omnia Remedia opportuna per Vice-Comites et Judium Regni ad loca finitima et fortalicia praestare compellantur: quibus omnibus potissimum Dominus Vice-Banus superintendere debet. De laboribus etiam, prius ad Hrastoviczam deputatis, qui domini et nobiles ad Castrum finitimum Blynja labores praestiterint, in rationem acceptentur, prout etiam si ad Hrastoviczam praestiti fuissent. Cum et Castrum praefatum Blynja nuncupatum, e manibus Turcarum ereptum, maximi sit momenti pro defensione Regni.